



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Eximia ad colendum Deum exhortatio. Cap. XLI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

nostram erga ipsos benevolentiam maximè abalienare, laborarunt, à nobis, quantum ratio commode ferre poterit, benigne prospectum iri.

Eximia ad colendum Deum exhortatio.

CAP. XLI.

HAEC igitur haecenus sermone nostro prouecta sunt. Verùm quoniam virtus dei omnipotentis euidentissimis argumentis manifestissimisque sese ostendit, cum ad optima cohortando, tum benigne mea causa adeo firma apportando subsidia, ut iis acerba calamitas, quæ cunctas res humanas antea districtas tenuit, iam ex omni mundo, radiis solis collustrato, prorsus exempta, vniuersi simul & singuli accurata cura & cogitatione circumspicere debetis, qualis tandem illa potestas fuerit, quæ semen (ut ita dicam) perditissimorum hominùm deleuerit labefactarique: bonorum autem lætitiã quasi denuo reuocatam, in omnes regiones affatim fuderit, & omnibus concesserit potestatem, tum officia diuinæ legi ac disciplinæ consentanea cum omni obseruantia præstandi, tum illis, qui se huic consecrauerunt, honesta virtutis munera sedulo excolendi, qui quidem tanquam ex crassa caligine emergentes, quia eximia sunt sacrarum literarum cognitione imbuti, de cetero, debitum cultum erga Deum, & honorem pium, eique congruentem declarabunt.

Quomodo Constantinus leges quas tulerat, reipsa confirmauerit. CAP. XLII.

Istud primum imperatoris edictum ad nos missum, ista præcepit. Statim vero, quæ lege fuere præscripta, re ipsa processerunt: & omnia contraria his, quæ paulò antè à crudelibus tyrannis patrata fuissent, gesta sunt: imperatorisque beneficiis, potiebantur hi, quibus ea tribui lege sancitum fuit.

Quomodo magistratus qui Christiani essent, ad honores extulerit, qui vero gentiles erant, sacrificare interdixerit. CAP. XLIII.

EX his vero rebus imperator abiens, alias res illustres & magni momenti cepit aggredi. Ac primum gentibus per varias prouincias dispersis, præfectos, qui maximam